


XXXVI

A. M. D. G.

ASSERTIONES THEOLOGICAE


Iuxtà Miram Angelici Præceptoris Doctrinam,


Quas

In Collegio Romano Sancti Thomæ Aquinatis publicè disputandas proponit.

FR. IOANNES DOMINICVS LEONIVS FLORENTINVS
Ord. Præd. in eodem Collegio, Collegialium minimus.







ROMAE, Apud Franciscum Caballum, 1650.

Superiorum Permissu.

A. M. D. G.

ASSERTIONES THEOLOGICAE

Iuxtá Miram Angelici Praeceptoris Doctrinam,

Quas

In Collegio Romano Sancti Thomae Aquinatis publicé disputandas proponit.

FR. IOANNES DOMINICVS LEONIVS FLORENTINVS
Ord. Praed. in eodem Collegio, Collegialium minimus.





ROMAE, Apud Franciscum Caballum, 16[illegible].

Superiorum Permissu.

De Prædestinatione, & Reprobatione.

1 Ominum Prædestinationem in Deo adstruendam esse, eamq; esse rationem transmissionis creaturæ rationalis in finem supernaturalem, ab æterno in mente Diuina existentem asserimus.

2 Quamquam verò ad Prædestionem, tam intellectus, quàm voluntatis actus necessario concurrant, haud tamen ex æquo actus vterq. concurrit, sed formaliter, & in recto constituitur tantum per actum intellectus, actu voluntatis solum connotatiuè importato.

3 Porrò ex actibus intellectus, consistit in Imperio intellectus practici efficacem voluntatis electionem subsequente, & antecedente, ac dirigente executionem, & vsum.

4 Ad prouidentiam comparatur quidem Prædestinatio vt pars; sed neq. est pars integralis, nec subiectiua, sed obiectiua dumtaxat, ita vt à Prouidentia naturali differat solummodo penè partiale, materiale obiectum.

5 Inter Prędestinationis effectus nequaquam de facto reponenda est Prædestinati substantia, quamquam id de possibili non repugnet.

6 Ex accidentibus verò, ac circumstantijs ordinis naturalis, quædam effectum esse Prædestinationis imperatum, licet non omnia defendimus.

7 Permissio etiam peccati in electis, vt potè ad eorum Beatitudinem mediam humilitate, propriæq; infirmitatis recognitione condu cens, est eorum Prædestinationis effectus.

8 Auxilia sufficientia electis præstita etiamsi cum actuali operatione non coniungantur, quà in electi memoriam, & Dei beneficium, & sui defectum reuocando, gratiarum actionem de accepto beneficio, ac dolorem de malo vsu cau-

ſant, ad finem conducunt Prædeſtinationis, proindeq. ſunt Prædeſtinationis effectus.

9 Idemq. aſſerimus de Gratia interrupta per peccatum, quam etiam vt primo electis collatam effectum eſſe Prædeſtinationis, defendimus.

10 Hoc tamen de Adami Gratia per primum peccatum interrupta, vt potè, & peccati permiſſionem, ac præuiſionem, & Chriſti, ac noſtram proindè Prædeſtinationem antecedente, nequaquam intelligendum eſt.

11 Glorificatio demum electorum inter Prædeſtinationis effectus connumerari debet.

12 Hos autem omnes effectus cauſat Prædeſtinatio in diuerſo genere cauſæ, prout diuerſimodè accipitur: quatenus enim potentiam executiuam applicat, ad ponendum infallibiliter effectum effectiuè phyſicè concurrit ad ipſum. Quatenus verò habet regulare executionem concurrit per modum cauſæ formalis extrinſecæ. Et, quatenus tandem allocutiuè mouet potentiam executiuam, concurrit directiuè effectiuè moraliter.

13 Ante quorumcumq. meritorum præuiſionem datur in Deo abſoluta voluntas dandi gloriam omnibus abſque diſcrimine Prædeſtinatis.

14 Quæ quidem abſoluta electio ad Gloriam ante meritorum præuiſionem, ad determinatum etiam Gloriæ gradum, taxata fuit.

15 Primi Prædeſtinationis effectus, ſiuè primi auxilij ſupernaturalis gratiæ nequaquam meritoria ſunt opera naturalia gratiam præcedentia, (etiamſi bona ſint moraliter) nec de condigno, nec de congruo.

16 Nec ſimiliter ſunt ad tale gratiæ auxilium diſpoſitio proxima, aut remota.

17 Imò inter opera naturalia, & gratiam intrinſecè ſupernaturalem, ſiuè excitantem, ſiuè iuſtificantem, ſiuè auxiliantem, nec ex ſtatuta lege diuina, datur infallibilis connexio.

Nec

18 Nec tandem opera etiam ſupernaturalia, (præuiſa, vt futura) meritoria eſſe poſſunt primi effectus Prædeſtinationis, ſiuè primæ gratiæ ſupernaturalis, à quà in executione procedunt.

19 Nullus purus Homo poteſt alteri totam effectuum Prædeſtinationis ſeriem, nec de congruo promereri, nec de condigno.

20 Ex quo tamen perperam deducitur Sanctorum precibus Prædeſtinationem, non iuuari.

21 Comunis Catholicorum ſententia eſt, Prædeſtinationem certò, & infallibiliter effectus ſuos, inferre.

22 Haud tamen in Deo ante voluntatis ſuæ decretum ponenda eſt ſcientia media, ſiuè ſcientia futurorum conditionatorum, ex qua huiuſmodi Prædeſtinationis certitudo deſumatur.

23 Nec ſimiliter certitudò Prædeſtinationis, quæ non ſolum præſcientiæ eſt, ſed & cauſalitatis creatam arbitrij noſtri libertatem, vlla ex parte lædit; ſed pro Diuinæ ſapientiæ ſuauitate, eam mirificè fouet, iuuat, ac perficit.

34 Quamquam autem multi ſint à Deo vocati: aliquos tamen ab ipſo reprobari, fatendum eſt.

25 Quæ quidem reprobatio, non in pura actus carentia conſiſtit, ſed actum poſitiuum importat, etiamſi adæquatè ſumatur, tam ſcilicet, quò ad deſtinationem ad pœnam, quàm quò ad excluſionem à Regno, etiam per modum beneficij indebiti.

26 Conſequenter ad ea, quæ de Prædeſtinatione ſupra diximus, etiam reprobationem in actu voluntatis conſiſtere negamus, aut conflato ex actu intellectus, & voluntatis, ſed in actu dumtaxat intellectus conſiſtere defendimus.

27 Qui quidem actus, non iudicium eſt electionem præcedens, ſed Imperium illam ſupponens.

28 Inter reprobationis effectus, æternæ pœnæ inflictio, meritò numeratur.

29 Idemq. de impœnitentia finali secundum quod auxiliorum denegationem ad pœnitendum in fine vitæ importat, asserimus.

30 Permissio quoq. peccati, quod nunquam remittitur, & induratio, atq. excæcatio secundum, quod supponunt pro denegatione auxilij, sunt effectus reprobationis in reprobis.

31 Imò, & permissio peccati quo ad culpam, & quò ad pœnam æternam remissi (si tamen non remittatur etiam, quo ad pœnam temporalem) ad Gloriæ denegationem conducit, estq. effectus reprobationis in reprobis.

32 Nec etiam improbabile reputamus asserere, esse etiam effectum Reprobationis in reprobis, permissionem peccati omninò remissi, quo ad pœnam etiam temporalem.

33 Originalis verò lapsus permissio nequaquam Reprobationis effectus est.

34 Collatio auxiliorum sufficiẽtium respectu reproborum adultorum, semper effectus est reprobationis.

35 Respectu verò paruulorum ante rationis vsum decedentium, huiusmodi auxilia sufficientia quandoq. per reprobationem præparari sustinemus, quandoq. verò non.

36 Ex parte reprobi, nulla datur causa Reprobationis quatenus discretiua est reprobi à prædestinato, sed omnis ista discretio diuinam libertatem, diffundi debet.

37 Reprobationis tamen absolutè sumptæ causa est peccatum originale in illis, quibus remissum non est.

38 In illis autem, in quibus est abolitura, nulla alia causa remanet Reprobationis ex parte sui.

39 Inquirentibus demum, An Prædestinatorum numerus, reproborum collectionem excedat, multas vtraq. ex parte coniecturas, nullam verò certam determinationem, arbitramur posse afferri.

Ex

De vitijs, & Peccatis.

40 Peccati constitutiuum, non in pura negatione, vel priuatione, sed in aliquo positiuo consistere, probabilius esse arbitramur, & defendimus.

41 Omne peccatum ideò peccatum est, quia lege aliqua prohibetur.

42 Hæc autem lex peccata omnia prohibens, æterna Dei lex est, contra quam eo ipso peccatum est, quod est contra rectam rationem.

43 De intrinseca etiam ratione peccati est offensiuum, & iniuriosum esse Deo, vt vltimo fini tam naturali, quàm supernaturali.

44 Omnia vitia, & peccata siuè contrarientur virtutibus acquisitis, siuè infusis, sunt contra naturam humanam, quatenus id tollunt, quod illi consonum est.

45 Quod quidem intelligendum asserimus, non solum de natura humana secundum partem rationalem accepta, sed etiam si accipiatur secundum partem sensibilem, non quidem secundum se sumptam, sed prout rationi obedire aptam.

46 Inter vitium, & virtutem acquisitam, vera datur contrarietas, atq. propria, secus autem inter vitium, & virtutem per se infusam.

47 Distinguuntur inter se specie peccata in ratione peccati, & mali moralis per ordinem, siue habitudinem ad obiecta.

48 Adæquatè diuiditur peccatum in carnale, & spirituale.

49 Causæ efficientis diuersitas specificam diuersitatem inter peccata causare nequit, hunc tamen diuersitas causæ finalis.

50 Essentialis,& adæquata est diuisio peccati in peccatum contra Deum, contra se ipsum,& contra proximum.

51 Diuisio verò peccatorum secundum reatum potest quidem ad specificam distinctionem consequi, sed illam nec causat,nec constituit.

52 Commissio, & omissio licet in esse rei distinguantur inter se specificè; in esse tamen moris formaliter, & ex se non causant distinctionem specificam, illam tamen non necessario excludunt.

53 Nec leges similiter, aut præcepta causant in peccatis specificam distinctionem; nisi cum aliquid sub diuersa ratione, aut motiuo præcipiunt.

54 Peccata cordis, oris, & operis non constituunt diuersa specie peccata,sed diuersos gradus eiusdem speciei peccati: nisi accipiantur pro peccatis, quæ ex natura sua consumantur in diuersis potentijs,vt hæresis,odium,& blasphemia; sic enim diuersitatem specificam importat hæc diuisio.

55 Peccata etiam, quæ differunt penes excessum, & defectum essentialiter,& specifice distinguuntur.

56 Ex peccatorum circumstantijs, illæ dumtaxat specificam distinctionem inducunt, quæ diuersis ex motiuis attinguntur,secus verò, quæ ex eodem motiuo.

57 Nō est inter omnia vitia,& peccata necessaria connexio.

58 Atq. vt in connexa sunt,& disparata, ità & inæqualia; quod quidem verum habere asserimus etiam in peccatis lege positiua m prohibitis,siue in eadem materia sint,siue in diuersa.

59 Grauitas accidentalis peccati ex circumstantijs desumpta, essentialem grauitatem ex obiecto prouenientem,quātumcumq. crescat, superare non potest.

60 Ex maiori dignitate virtutum,quibus opponuntur vitia, maior vitiorum grauitas exurgit.

61 Idemq. de causa propria, & per se peccati;qualis est peccatis voluntas, affirmamus.

Causa

62 Causâ vero extrinseca si inclinet, seu inducat voluntatem secundum suam naturam ad peccandum, grauitatem auget peccati: si autem præter voluntatis inclinationem eam fert ad peccatum, peccati grauitatem minuit.

63 Omnes peccatorum circumstantiæ peccatorum adaugent grauitatem, diuersimodè tamen.

64 Quæ enim formalis motiui rationem habent, non augent malitiam peccati intrà latitudinem propriæ speciei; benè tamen illæ, quæ non se habent, vt motiuum formale, sed tantum ratione obiecti principalis, appetuntur.

65 Nocumentum intentum, atq; præuisum, vel (etiamsi non præuisum) vt plurimum tamen consequens, peccati malitiam auget: secus verò si raro, aut contingenter sequatur.

66 Ex parte etiam Personæ, in quam peccatur, aggrauatur peccatum.

67 Ex parte verò peccantis, illorum peccatorum grauitatem, dignitas personæ adauget, quæ ex infirmitate naturæ humanæ, seu ex passione proueniunt, non verò illorum, qui procedunt ex electione, & deliberatione, seu malitia voluntatis

68 Peccati subiectum est voluntas; aliarum verò à voluntate potentiarum actus, vt voluntatis dumtaxat imperio subdentur, mali esse possunt malitia formali non verò secundum se considerati.

69 In intellectu quædam peccata sũt peculiari ratione, quatenus in ordine ad proprium obiectum, consumantur in illo.

70 Nullorum peccatorum causa est *Deus*, nec de facto, nec de possibili.

71 Quod tamen intelligendum est solum de peccato formaliter, & quo ad malitiã consideràto: etenim peccatum, vt actio, & ens est, est à Deo tanquam à causa, præmouente, & prædeterminante voluntatem creatam ad talem actum, vt actus est.

Indu-

72 Induratio, & excæcatio peccatorum non est à Deo tanquam ab efficiente, vel mouente, aut excitante ad ipsam, sed solum permissiuè vt à non impediente duritiam, nec ea remouente, quibus impediretur.

73 Diabolus autem occasionaliter quidem, & indirectè omnium peccatorum causa est; nequaquam verò per se, & directè.

Ex Secunda Secundæ,

De Fide.

74 Fidei obiectum, quod Deus est; cum quo tamen stat, vt multa etiam alia attingantur à fide, vt obiecta quæ, scilicet Christi Incarnatio, hominum redemptio, Sacramentorum Institutio, & plura huiusmodi.

75 Inter hæc autem solus Deus obiectum primarium est, atq. specificum reliqua verò Secundariaria, inter quæ principem obtinet locum Incarnatio.

76 Obiectum verò formale quo nec Deitas est, nec supremū Dei dominium, nec demum obscuritas, sed veritas prima.

77 Quæ quoniam diuersimodè accipi potest, obiectum formale, quò fidei nostræ asserimus esse veritatem primam non quidem in essendo, aut in cognoscendo, sed in dicendo tantum, seu in reuelando.

78 Ita vt neq. etiam conflctur ex veritate in cognoscendo, & veritate in dicendo, sed priori omninò à formali conceptu exclusa, consistat solum, & præcise in veritate in dicendo, seu in diuina reuelatione.

79 Præter quam, neq. Ecclesiæ propositio, neq. Prædicatoris instructio est regula credendorum, in quam tanquam in formale motiuum, fiat vltima fidei resolutio.

Vtrumq.

80 Vtrumq. tamen regulariter, & connaturaliter requiritur ad fidem tanquam conditio.

81 Deus, cuius reuelationi fidei nostræ infallibilitas inhęret, nec de potentia ordinaria mentiri poteſt, nec de abſoluta: nec per ſe ipſum, nec per miniſtrum.

82 Eccleſia, quæ viſibilis regula fidei eſt benè definitur: *eſt ita Congregatio fidelium baptizatorum ſub Chriſto capite in Cælis, & eius Vicario in terris.*

83 Membra autem Eccleſiæ, ſeu fideles, non ſoli iuſti, & Sãcti ſunt, nec ſoli Prædeſtinati, ſed omnes Baptiſmi charactere inſigniti, fideique ſignaculum retinentes.

84 Quare neq. excomunicatos excludimus, neq. Schiſmaticos: Benè tamen hæreticos, & Cathecumenos.

85 Hæc igitur Eccleſia pro tota fidelium collectione accepta nullatenus in fidei negotijs definiendis, errare poteſt, aut à fide deficere.

86 Imò nec collectio Doctorum, & Prælatorum.

87 Eccleſiæ quoq. Supremus Paſtor, & caput, Summus nimirum Pontifex eſt, errare non poteſt in rebus fidei, eſto poſſit, hoc quà particularis Perſona eſt:


88 Fides, cum ſit ſperandarum ſubſtantia rerum, atq. argumentum non apparentium, omnem euidentiam, & viſionem excludit.

89 Quare non poteſt de eodem obiecto dari fides, & Scientia in eodem ſubiecto, quamquam poſſit hoc eſſe in diuerſis.

Ex

Ex Tertia Parte,

De Gratia Christi.



90 Ratiam habitualem in Christi Anima ponendam esse, vt certum defendimus.

91 Quæ quidem necessaria fuit, vt eius operationes supernaturales essent.

92 Virtutes per se infusæ (illis exceptis, quæ vnioni hypostaticæ, aut statui Beatifico repugnant) excellentissimè fuerunt in Anima Christi.

93 Idemq. de virtutibus moralibus acquisitis asserimus, eas proinde negantes per accidens fuisse Christo infusas.

94 Fides virtus Theologica nequaquam fuit, aut esse potuit in Christo.

95 Nec similiter spes, quæ virtus Theologica esset, licet alias quædam sperauerit, quæ nondum erat adeptus.

96 Dona autem Spiritus Sancti, seu perfectiones potentiarum Animæ, quibus aptæ sunt moueri à spiritu Sancto, absolutè ponenda sunt in Christo.

97 Ex quibus, donum etiam timoris fuisse in eo dicimus.

98 Gratiæ quoq. omnes gratis datæ eidem collatæ fuerunt

99 Quare prophetiam etiam in ipso defendimus adstruendam.

100 Gratiæ item plenitudinem fuisse in Christo asserimus tam intensiuè, quàm extensiuè.

101 Quæ quidem plenitudo Gratiæ ex parte gratiæ sumpta, propria est Christi, non autem ex parte subiecti, quatenus nimirum dicit excellentiam, & perfectionem gratiæ iuxtà subiecti exigentiam.

102 Gratia vnionis in Christo, vndequaq. infinita est: Gratia

verò habitualis in esse physico, & in quantum ens, infinita simpliciter non est, sed tantum secundum quid; in esse autem morali, seu in quantum gratia, est simpliciter infinita.

103 Quare Christi gratiæ, nulla fieri potuit additio etiam in quātum ens est, si potentia Dei ordinaria spectetur, si autem de absoluta sit sermo, gratiam Christi physicè considera-tam augeri potuisse, tuemur.

104 Vnio naturarum in Christo gratiam habitualem ante-cedit, non quidem ordine temporis, sed naturæ, & intel-lectus.

105 Atque inter Gratiam vnionis, & gratiam habitualem datur connaturalis, & necessaria connexio, ita vt hæc ad il-lam sequatur, non tamen tanquam vera, & propria illius parsio.

106 Talis vero connexio ista est inter vtramq. Gratiam, vt nullus mediauerit actus, quo se potuerit Christus ad gra-tiam habitualem disponere.

107 Præter Gratiam vnionis hypostaticæ, & gratiam habi-tualem, datur etiam in Christo gratia capitis, qua scilicet Ecclesiæ caput, constituitur.

108 Et quidem per hanc gratiam caput hominum est, ne-dum, quoad Animas, sed etiam quoad corpora.

109 Subduntur autem homines Christo tanquam capiti non quidem secundum esse naturale præcise considerati, sed quatenus in ipsos dona gratiæ influit.

110 Damnatorum nullo modo Christus est caput: Infide-lium verò caput est in potentia, sed non actu.

111 Cæterorum vero peccatorum, dummodo fidem reti-neant, absolutè Chistus est caput.

112 Non solum autem Hominum caput est Christus, verum etiam Angelorum.

113 Gratia capitis in Christo essentialiter distinguitur à gratia vnionis, quæ non ad operationem, vel influxum, sed ad esse Personale tribuitur: à gratia verò habituali non es-

sentia-

sentialiter, sed ratione tantum distinguitur.

114 Esse caput Ecclesiæ proprium est Christi.

115 Diabolus caput est malorum.

116 Antichristus vero nec caput malorum est secundum ordinem temporis, nec secundum virtutem influendi: Est tamen caput quò ad malitiæ perfectionem, seu plenitudinem.

Disputabuntur publicè Romæ in præfato Collegio S. Thomæ Die Ianuarij Anno Iubilei 1650.

Satisfaciet obiectis idem F.Ioan.Dominicus Leonius, qui supra.

